

tingentibus prudens est praesumptio. Idem est iudicium in dubio, an ebrietas sit plena. Vide dicta P. I. a n. 329. de ebrietate. *P. Herzig* de munere Confessarii n. 427., *Gobat* l. c.

329. Q. III. Quid faciendum circa hostiam, quam in ore habens Gregorius expiravit? R. Sacerdos eam cum reverentia desumat ex ore, et si ob nauseam in sequenti Sacro eam sumere nequeat, illam reponat in loco sacro, donec corrumpantur species, quae corruptae postea comburantur, cineresque in sacrarium projiciantur. Vide dicta n. 311.

330. Quid, si s. hostia sit transmissa in stomachum immediate ante mortem hominis? R. Debet sepeliri cum mortuo. Hinc si praevideatur moriturus, ante quam species consumantur, adhuc tali potest dari Viaticum: patet ex *Conc. Carthag. IV.* ubi dicitur: *Si quis continuo creditur moriturus, infundatur ei Eucharistia: nec inconveniens est, species sacras in corpore mortuo corrumpi; hoc enim necessitas et utilitas mortui excusat.* Sed quomodo infundatur? R. Cum hodie non amplius liceat porrigere laico species vini, modica pars hostiae vino immissa ope cochlearis aegroto deglutienda potest praebere. *V. P. Gob. t. 4. n. 27.*

331. *De Viatico porro adverte sequentia.* I. Praeceptum Viatici clare innuitur ex *Conc. Nicaen. c. de his 9. Caus. 26. q. 6.:* *De his vero, qui recedunt ex corpore, antiquae legis regula observabitur etiam nunc; ita ut si forte quis recedit ex corpore, necessario vitae suae Viatico non defraudetur.* *Trid. sess. 13. C. 6. ait: Deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis praeeptum invenitur et vetustissimo Catholicae Ecclesiae more est observatum;* unde voluntaria Viatici omissio et libera, etiam ex negligentia, est peccatum mortale; quia materia gravis est, et ad salutem animae multum pertinens. *Suar. in 3. P. D. 69. Sect. 3. Accedit, quod, cum Eucharistia ex praeepto divino Joan. 6. ad habendam et conservandam vitam spirituales sumenda sit, nunquam ad eam magis necessaria, ideoque sumi gravius praeepta sit, quam in articulo mortis, quando maximae insidiae, tentationes et difficultates obruunt hominem. Per articulum mortis hic intelligitur quodlibet propinquum aut probabile mortis periculum; unde non tantum in periculo ex morbo, sed etiam ante puerperium praesertim primum, ante periculosam sectionem corporis, ante longam et periculosam navigationem, ante praelium cum hoste probabilis est gravis obligatio sumendi Eucharistiam, si occasio sit, aut si praevideatur, fore ut in ipso periculo non sit occasio illam sumendi. Dixi, ante praelium cum hoste, non autem ante duellum; hoc enim sub excommunicatione prohibitum est: ergo Eucharistia cum animo descendendi in duellum sumeretur sacrilege.*

332. II. Nomine *S. Viatici* hic intelligitur communicatio, quae probabiliter videtur fore ultima: datur autem sub hac formula; *Accipe Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur in vitam aeternam. Amen.* Quae tamen formula non adhibetur, nisi quando jamjam constitutus in mortis periculo Eucharistia datur: extra periculum communis formula est: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.*

333. III. Ad quaestionem a Theologis in utramque partem multum agitatam de Viatico dando vel non dando ei, qui post perceptam mane Eucharistiam eadem die prudenter timetur moriturus, respondet *Bened. XIV.* in praestanti opere de Synodo L. 7. c. 9. *In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia integrum esse Parocho, eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit ... Neque fas esse Episcopo in Parochum*

*animadvertere, qui praefato aegrotanti Viaticum denegavit. Leonardelli de Euch. q. 3. §. 1. n. 19.* rationes utriusque sententiae bene perpendit et negativam praefert; quod non sit obligatio eodem die repetendi s. communionem, eo quod talis vere communicaverit, quando mors imminebat: ergo simpliciter satisfecit praeepto. Idem affirmant plerique cum *Suar.* de eo, qui pridie aut ante plures v. g. 6. vel 7. dies communicavit: finis enim praeepti est, ut quis se disponat per Eucharistiam ad vicinam mortem, cui fini et obligationi virtualiter satisfacere velle videtur proximus morti, etsi actu non cogitet de periculo mortis. Nihilominus *Leonardelli* l. c. sub finem dicit, contrariam sententiam esse vere probabilem, eo quod huic praeepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis non possit satisfieri, nisi eo articulo praesente. Ex quibus tertia sententia praefenda videtur, scilicet non quidem esse obligationem eadem die iterum sacram Eucharistiam sumendi per modum Viatici, si quis mane ex devotione communicaverit; licitum tamen hoc esse, cum nulla expressa prohibitio loquens de articulo mortis habeatur, et cum nihil praesertim eo tempore periculosissimo sit negligendum, quod prosit saluti animae.

334. IV. Ad quaestionem, an parvulis moribundis, doli jam capacibus, debeat negari s. Viaticum ex ea tantum ratione, quod hucusque necdum communicarint, respondet idem *Bened. XIV. l. c. c. 12.:* *Haud leviter delinquere, qui pueros, etiam duodennes et perspicacis ingenii, simunt ex hac vita migrare sine Viatico, hanc unam ob causam, quia scilicet nunquam ante, Parochorum certe incuria et osecitantia, Eucharisticum panem degustarint.* Hinc absque dubio non tantum licitum, sed fas est dare pueris moribundis sacrum Viaticum, si constet, quod antea in rebus fidei bene fuerint instructi, praesertim si prodant desiderium accipiendi panem Eucharisticum, etsi nunquam antea communicarint. Secus est de rudioribus, et de quibus necdum satis constat, an sufficienti polleant ratione, sufficientique instructione circa altissimum hoc fidei mysterium.

335. V. Si aegrotus sumpto s. Viatico iterum peccet graviter, consultum quidem est, ut praemissa confessione postea iterum (sed non una eademque die, qua s. Viaticum sumpserit) communicet: ad hoc tamen non obligatur; quia praeeptum non nisi ad unum eodem durante morbo Viaticum obligat. *Bonac. D. 4. qu. 7. pu. 1. n. 3.* Si vero, postquam convaluit, denuo in morbum incidat, tenetur denuo sumere s. Viaticum, quia distinctum et novum periculum mortis requirit novum Viaticum. *Jansen. Cas. 92. n. 1. cum Henno.*

336. Si aegrotus eodem durante morbo post perceptum s. Viaticum diversis diebus iterum petat Eucharistiam ex devotione suscipere, ei denegari non debet absque gravi causa. Sic *Bened. XIV. L. 7. de Synod. C. 12.* ait, *Posse et interdum debere Episcopum constituere, ne Parochi renuant Ss. Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui, etiamsi perseverante eodem morbi periculo, idem saepius per modum Viatici, cum naturale jejuniis servare nequeant, percipere cupiunt.* Quot autem dies inter Viaticum et Viaticum debeant intercedere, arbitrio prudentis relinquit *Fagund.* de tertio Ecclesiae praeepto L. 1. C. 1. n. 3. Alii cum *Henriq.* statuunt saltem octo dies.

337. VI. Reis ultimo supplicio afficiendis iudex debet concedere tempus confitendi et sumendi Eucharistiam per modum Viatici, ita ut nihil valeat contraria consuetudo contra praeeptum divinum. De confessione constat ex *Clement. cum secundum.* 1. De poenit. et remiss. ubi praecipitur locorum Ordinariis, ut iudices ecclesiastica censura compellant ad concedendum tempus sacramentalis poenitentiae, si id petat reus. De Communionem con-

stat ex Motu proprio *Pii V.* quem citat *Henriq.* L. 8. C. 5. n. 4. item ex c. *quaesitum* 30. Causa 13. q. 2. et c. seq. *fures et latrones.*

338. *Quid si reus nolit uti spatio concesso?* R. Tunc absolute quidem non tenetur iudex differre supplicium et concedere aliud tempus; si tamen sit spes fructus, nec aliunde sit periculum fugae, seditionis, aut alterius gravis incommodi ex ea dilatione orituri, charitas exigit, ut concedat adhuc unum alterumve diem. *Bonac.* l. c. n. 6. Porro ordinarie quidem ejusmodi reis Viaticum solet praebere pridie mortis; ubi tamen non obstant statuta specialia Dioeceseos, etiam potest dari ipsa die mortis, sicut aegro statim morituro. Ab irreverentia (siqua sit, cum tale supplicium sit actus justitiae) excusat necessitas et utilitas morituri. *Dicast.* D. 9. n. 341.

339. VII. Sacerdos Regularis non habens curam parochialem, peccat graviter et ipso facto incurrit excommunicationem Papae reservatam, si sine licentia Parochi praesumat clerico vel laico dare s. Viaticum, vel Extremam Unctionem. *Excipe:* nisi habeat speciale privilegium, vel Parochus absit, aut *injuste* nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione juxta *Praepos. et Dian.* excusat ignorantia, ut patet ex verbo *praesumant.* *Dixi, S. Viaticum:* antequam enim aegrotus pervenerit ad tale periculum mortis, ut ex praecepto teneatur ad communionem, item postquam aegrotus satisfecit praecepto Viatici, Regularibus licet praebere Eucharistiam aegrotis, quando in ejus oratorio, aliove honesto domus loco de licentia Ordinarii Sacrum faciunt: quia administratio Eucharistiae tantum prohibita est Regularibus, quando praeceptum communionis in articulo mortis obligat: nunquam autem Regularibus licet sine licentia Episcopi, vel Parochi publice Eucharistiam deferre ad aegrotum per plateas, quia id juri Parochorum derogat. Vide *Busemb.* L. 6. t. 3. C. 2. a. 1.

CASUS VIII. De dispositione animae ad Eucharistiam digne suscipiendam.

*Gertrudis, cum nuper non haberet copiam Confessarii, ex sola devotione cum conscientia peccati mortalis accedit ad s. communionem, prius tamen eliciens dolorem de peccatis suis: alias post confessionem, cum jam esset vicina sacrae mensae, adhuc recordatur peccati mortalis in confessione omissi: hinc cum solo proposito proxime illud confitendi sumit Eucharistiam; antequam autem S. Hostiam deglutiret, adhuc elicit dolorem.* Ante resolutionem hujus casus.

340. Q. I. Quenam dispositiones ex parte animae necessario requirantur ad suscipiendam Eucharistiam cum fructu sive sacramentaliter? R. Juxta dicta n. 269. et 271. *Primo* requiritur, ut suscipiens sit baptizatus; baptismus enim est janua reliquorum Sacramentorum: hinc infidelis communicans non suscipit Eucharistiam sacramentaliter, sed materialiter tantum vel sine fructu. Addit hic *Bonac.* D. 4. q. 6. p. 1. n. 2. praeter baptismum requiri fidem, sed cum sine fide non adsit status gratiae, merito ab aliis haec dispositio ad tertiam reducitur, de qua mox sumus dicturi. *Secundo* requiritur aliqua saltem intentio scil. vel actualis vel virtualis (addit *Suarez*, seu interpretativa) vel habitualis; hinc is, qui recipit Eucharistiam ad famem tantum expellendam, aut nesciens esse consecratam hostiam, aut qui plane invitus et non volens suscipere Sacramentum manducat, sumit quidem Sacramentum, sed mere materialiter, non sacramentaliter ex defectu voluntatis suscipiendi Sacramentum. *Dixi, sumit quidem Sacramentum;* cum enim Eucharistia non consistat in usu, sed fiat per consecrationem materiae, ideo non pendet in suo fieri ex voluntate suscipientis, sed ex intentione consecrantis: item cum hoc Sacramentum sit permanens, hinc, postquam semel factum est, non pendet in esse et conservari ab usu vel

voluntate suscipientis; adeoque hoc Sacramentum reipsa potest sumi ab invito, vel ignorante, esse hostiam consecratam, ita tamen ut haec sumptio sit mere materialis, non vero usus Sacramentalis aut sacer, nec sufficiens ad effectum Sacramenti: quia ex defectu intentionis sive voluntatis hic non est humanus usus Sacramenti, ut Sacramentum est, nec per ejusmodi corporalem tantum refectionem interior animae relectio, aut unio animae cum Christo significatur. Ita *Suar.* in 3. P. Disp. 14. Sect. 2. *Tertio* requiritur in suscipiente status gratiae, sive ut suscipiens non habeat conscientiam peccati mortalis. Vide dicta n. 271.

341. Q. II. An Gertrudis licite sine praevia confessione sumpserit Eucharistiam ex sola devotione? R. *Negative;* quia, ut licite communio possit fieri sine confessione ab eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, debet primario urgere aliqua necessitas communicandi; deinde, ut ex defectu Confessarii praemitti nequeat confessio; ergo cum sola devotio non inferat necessitatem, potius debet omitti communio deficiente Confessario. Vide *Trid.* cit. n. 271. et *Suarez* in 3. P. Disp. 66. Sect. 4.

342. Q. III. Quenam necessitas excuset a praevia confessione ante communionem? R. Non quaelibet, sed gravis necessitas excusat: quia res gravis est agere contra praeceptum in materia tam gravi. In particulari AA. communiter necessitatem excusantem reducunt ad duo capita, scil. ad periculum instantis mortis, et ad gravem infamiae notam aut detrimentum, quod incurreret Sacerdos non celebrans, aut laicus non communicans. Juxta *Suar.* l. c. necessitas excusans potest esse: *Primo*, periculum mortis ipsiusmet communicaturi; v. g. si Sacerdos sit in certo periculo mortis constitutus, nec habeat copiam Confessarii, potest vel celebrare, vel antea consecratam hostiam sumere praemissa contritione; item si laicus in simili mortis periculo sit constitutus, nec adsit Sacerdos, sed solus Diaconus, potest ab eo sumere Eucharistiam praemissa contritione, etiamsi sibi conscius sit peccati mortalis: quia in hoc articulo urget necessitas communicandi.

343. *Secundo.* Periculum mortis alterius: sic Parocho in peccato mortali existenti, nec habenti copiam Confessarii praemissa contritione licet Sacrum facere ad consecrandas minores hostias, si alias moribundus decessurus esset sine Viatico.

344. *Tertio.* Siquis non possit communionem omittere sine gravi infamia: quia tunc praeceptum positivum prius confitendi non censetur cum tanto rigore et damno obligare: cessat autem haec excusatio, si alia via possit vitari infamia: sic Gertrudis jam vicina sacrae mensae non tenebatur prius confiteri, quia ex supposito sine gravi infamia non potuit recedere; secus, si potuerit. Neque expedit, ut Sacerdos ad altare adhuc audiat confitentem. *Henriq.* L. 8. C. 46. n. 3.

345. *Quarto.* Si oriatur scandalum ex omissione missae vel communionis, quod quidem aliter evitari nequeat: unde licet Parocho non habenti copiam Confessarii praemissa contritione celebrare die festo, ne Parochiani illo die missa carere debeant; quia in tali casu Sacrum sine infamiae nota et scandalo omitti nequit.

346. *Quinto.* Excusat necessitas absolvendi jam inchoatum Sacrificium: unde si Sacerdos post consecrationem recordetur alicujus peccati vel antea commissi et nondum per confessionem remissi, vel etiam sub ipso Sacro admissi, non debet ab altari recedere, nec vocare Sacerdotem ad confitendum, ne Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpat; sed debet contritionem elicere cum proposito confitendi et satisfaciendi. Ita *S. Thom.* 3. P. q. 83. a. 6. ad 2., ubi in fine subjungit: *Si vero ante consecrationem alicujus praedictorum sit memor* (scil. vel alicujus peccati gra-

vis, vel quod non sit jejunus, vel quod sit excommunicatus) *tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Ex quibus Suarez l. c. infert, s. Thomam (cum dicat *tutius, maxime in casu manducationis et excommunicationis*) sentire, quod non sit praeceptum, ut Sacerdos missam etiam ante consecrationem ob peccatum, quod modo incidit, abrumpat, sed consilium. Hinc *Leonardelli* absolute resolvit T. 3. de Euch. q. 7. n. 40. quod Sacerdos ad altare accedens indutus sacris vestibus, vel in altari existens, etsi recordetur alicujus peccati mortalis, non teneatur regredi aut discedere, cum id vix unquam fieri possit absque gravi scandalo aut infamiae nota: si tamen fieri posset sine scandalo aut infamia, vocari posset alius Sacerdos, cui inadvertenter confiteretur: et hoc faciendum videtur ab eo, qui adhuc in sacristia, sed jam sacris vestibus indutus, reminiscitur peccati. Vide *Vasq.* de Euch. C. 9. Dub. 9., *Bonac.* Disp. 4. q. 6. pun. 1. n. 15. *Missale* de defect. dispos. animae generaliter ita statuit n. 4. *Si in ipsa celebratione missae Sacerdos recordetur esse in peccato mortali, coneratur cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

347. Q. IV. Quando quis censendus sit non habere copiam Confessarii? R. *Primo.* Si urgente praecepto communionis, vel urgente necessitate Sacrum legendi plane nullus sit praesens Sacerdos approbatus cum jurisdictione, ad absentem vero sine magna difficultate ire nequeas: quae nam loci distantia sufficiat et excuset, regula generali determinari non potest, sed decidendum relinquatur a iudicio prudenti ex circumstantiis, spectando tum debilitatem, aetatem et negotia personae, tum circumstantias aëris, itineris, brevitatis temporis etc. Ita *Vasq.* Alii cum *Cano* statuunt, si Confessarius distet itinere trium horarum.

348. *Secundo.* Quando praesens quidem est Sacerdos habens jurisdictionem, sed audire non vult sive ex malitia, sive ex alio capite. Ita *Leonard.* l. c., *Duarte.* V. Communio. n. 98.

349. *Tertio.* Quando praesens est Sacerdos, sed ignarus idiomatis tui, vel carens jurisdictione, vel excommunicatus. Ita *Busemb.* L. 6. t. 3. C. 2. Dub. 2. n. 1.

350. *Quarto.* Quando poenitens juste et prudenter timet, sibi grave detrimentum, aut revelationem sigilli, aut aliud grave malum inferendum a Confessario; tunc enim alia solum peccata mortalia exponere debet, si quae habet, omisso illo, propter quod damnum timet sibi oriturum; si vero hoc unicum habeat, excusatur in necessitate a confessione. *Suar.* l. c., ubi sollicitè monet, in praxi observandum, ut revera tale periculum damni intercedat et non sit confictum; eo quod homo facile fingat haec pericula, ubi non sunt, cum sit propensus ad reticenda peccata propter difficultatem. Verecundia sola non videtur aequè excusare, cum haec ex natura sua sit connexa cum manifestatione peccati, sive confessione.

351. E contra male dicitur non habere copiam Confessarii, quando poenitens habet peccatum reservatum Superiori, neque illum potest adire, nec facultatem petere ab eo: in hoc enim casu *juxta communioem* non licet cum sola contritione communicare aut celebrare, sed poenitens tenetur omnia tum reservata, tum non reservata praesenti Confessario confiteri, qui in tali casu necessitatis absolvet indirecte a reservatis cum onere, ut reservata postea aperiatur Superiori, vel habenti potestatem, a quo directe absolvatur: hanc sententiam omnino consulendam ait *Suar.* l. c.; *Henriq.* L. 8. C. 47. n. 2. unice eam tenet cum pluribus. *Ratio est,* quia illud gravamen ab adversariis objici solitum, quod scilicet hoc modo poenitens bis

debeat idem peccatum confiteri, non sufficienter excusat ab obligatione confitendi ante communionem.

352. Nec censetur deesse copia Confessarii, si non adsit ille Sacerdos, cui quis ordinariè, vel cui devotius aut utilius confiteretur; si enim adsit alius habens approbationem et jurisdictionem, absolute habetur copia Confessarii.

353. Nec dicendus est carere copia Confessoris, si religiosus non possit nisi Clerico, aut alterius Ordinis Religioso confiteri gravia peccata cum aliqua infamia Religionis vel Ordinis sui. *Busemb.* cum *Amico*, et *Diana.* Quia alias liceret tali Religioso diu absenti a suis toties celebrare, absque praevia confessione, quoties ex omissione Sacri oriretur scandalum. Vide *Theol. specul.* in qua juxta communioem contraria sententia videtur improbabilis: praecepto enim divino, et ecclesiastico praeviae confessionis ante celebrationem, vel communionem contraria regula, aut consuetudo admittenda non est.

354. Q. V. An Gertrudis in casu posito digne sumpserit Eucharistiam cum solo proposito, omissa contritione? R. Si ex contemptu non omiserit dolorem de peccato, quod inculpabiliter in praemissa confessione reticuerat, sed ex eo dictamine, quod doluerit de omnibus peccatis, aut de dolore vel ex perplexitate, aut alio inculpabili errore non cogitaverit, non communicavit indigne; quia vere per praeviam confessionem et absolutionem jam est constituta in statu gratiae, quamvis cum onere peccatum adhuc confitendi, quod fuerat oblita; aliud foret, si antecederet non fuisset confessio. Juxta praxim tamen et communem doctrinam (quae in catechesi bene inculcanda est) ante sumptionem, si incidat peccatum in confessione omissum, semper elicienda est contritio: quia cum ex supposito in iis circumstantiis non possit, aut non teneatur confiteri, aequum saltem est, ut quilibet faciat quantum potest; atqui potest adhuc dolere de eo peccato; ergo.

355. Q. VI. An, qui sine praevia confessione Eucharistiam sumit, et sacram hostiam adhuc in ore habens recordatur peccati gravis, satisfaciatur, si dolorem eliciat, antequam eam deglutiat? R. *Affirmative;* quia, quamdiu s. hostia adhuc in ore est, non est Eucharistica manducatio: ergo cum ante veram manducationem talis adhuc se disponat per contritionem, non potest dici indigne manducare; secus qui, sciens peccatum, ante sumptionem omitteret contritionem: hic enim ob gravem irreverentiam a gravi peccato excusari non posset.

356. Pro reliquis multis hic resolvendis *observa* I. Sacerdos, qui necessitate urgente absque praevia confessione celebravit, ex praecepto Tridentini sess. 13. C. 7. et non tantum ex consilio, tenetur *quamprimum* confiteri. Vide propos. 38. ab *Alex. VII.* damnatam. Neque illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur, ut iterum patet ex propos. 39. ab eodem *Alex. VII.* damnata. *Ratio damnationis* est: quia alias rueret praeceptum Tridentini; independenter enim ab hoc praecepto talis Sacerdos tenetur suo tempore ante aliam celebrationem ob mortale nondum clavibus subjectum confiteri: et quis dicet, illum *quamprimum* confiteri, qui post unum vel plures menses confitetur? *Viva* in dict. propos.

357. *Quomodo ergo intelligendum est illud quamprimum?* R. Intelligendum est moraliter, ut Sacerdos prima data opportunitate, vel ut regula Missalis habet, *quamprimum poterit*, confiteatur. *Duarte* l. c. n. 100. sic intelligit, ut Sacerdos valde cito, si opportune et sine notabili incommodo possit, quaerat Confessarium et confiteatur, consideratis tamen circumstantiis personae, itineris, temporis, difficultatum et incommodorum etc. Alii

cum *Dicast.* D. 9. n. 167., et *Diana* ita intelligunt, ut saltem intra triduum confiteatur, nisi forte prius celebret, tunc enim prius deberet confiteri. *Rationem dant*, quia apud Juristas, quod fit intra triduum, dicitur *feri quamprimum*. L. fin. Cod. de Judiciis, et L. fin. Cod. de errore Advocatorum. Porro an hoc praecepto confitendi *quamprimum* etiam obligetur ille Sacerdos, qui libere et ex malitia, non ex urgente necessitate celebravit, respondet *Duarte* l. c. n. 95. probabiliter talem teneri, eo quod hic magis sit reus, quam alter; accedit, quod in utroque casu sit eadem mens Concilii, quae fuit, ut Sacerdotum conscientiae et puritati consuleret. Ibidem addit *Duarte*, probabilius tamen esse, eum non teneri, eo quod in praeceptis positivis non valeat argumentum a minori ad majus, vel ad simile. Hinc idem praeceptum pariter extendendum non est ad eum, qui ex necessitate tantum communicavit absque praevia confessione; quia Tridentinum expresse tantum loquitur de celebrante, adeoque praeceptum solis Sacerdotibus injunctum videtur, ne praetextu necessitatis celebrandi alias attentarent saepe et diu differre confessionem.

358. II. Non sunt sacrilegi judicandi, qui sumunt Eucharistiam, antequam poenitentiam injunctam impleverint; hinc recte damnata est ab *Alex. VIII.* propositio 22., quod *Sacrilegi sint judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint*: quae propositio falsa et erronea est, quatenus habet hunc sensum, quod rite dispositus ad suscipiendum Sacramentum poenitentiae nunquam possit absolvi, ideoque non habeat jus ad communionem, antequam debitam poenitentiam expleverit; eadem falsa et erronea est hoc sensu, quod peccatum non remittatur per absolutionem Sacramentalem, nisi antecedenter poenitentia injuncta sit peracta: ergo etiam *primo* falsum est, talem esse sacrilegum ex eo, quod nondum satisfecerit pro culpa; quamvis enim aliquando possit Confessarius differre absolutionem poenitenti, et aliquando etiam injungere dilationem susceptionis Eucharistiae, falsum tamen est, quod aut teneatur, aut possit semper differre absolutionem, et praecipere abstinentiam a cibo Eucharistico, quia hoc tanquam erroneum refertur a *Sixto IV.* in Bulla contra *Petrum de Osmia*: neque datur praeceptum universale obligans omnes ad non communicandum nondum peracta poenitentia. *Secundo*, falsum est, talem esse sacrilegum ex eo, quod non posuerit partem integram Sacramenti poenitentiae; quia hoc ipso, quod positae sint partes essentielles, antecedenter ad satisfactionem culpa remittitur per absolutionem: neque tota poena simul cum culpa remittitur semper a Deo: ut patet ex Trid. Can. 12. sess. 14. de Poenit. Denique *tertio* talis non est sacrilegus ratione indecentiae graviter culpabilis: quia non accedit in peccato mortali; utpote quod per absolutionem est remissum: ergo. Ita *Viva* l. c., *Duarte* l. c. n. 103., ubi addit, nullam in hoc apparere indecentiam, quod reus poenitentiae temporalis accedat ad fontem misericordiae; alias fere nunquam possemus ad Eucharistiam accedere, cum etiam post persolutam poenitentiam fere nunquam nobis innotescat, quod condignam de peccatis poenitentiam egerimus.

359. Peccatori publico sive notorio notitia facti, vel juris Eucharistia tam publice, quam privatim neganda est. *S. Th.* 3. P. q. 80. a. 6. in corp., *Suarez* hic D. 67. Sect. 2. cum *Ss. Chrysost.*, *Cypr.* et *Aug.* Porro *notitia juris* dicitur aliquod crimen manifestum 1. per confessionem rei in judicio: 2. per sententiam condemnatoriam in eum latam: *notitia vero facti* manifestum est crimen, si palam commissum nulla tergiversatione celari aut excusari possit, ut ait *Laym.* L. 5. t. 4. c. 6. n. 8. Ad hanc quaestionem dilucidandam lubet huc apponere Epist. Encyclicam *Benedicti XIV.* ad

Clerum Gallicanum anno 1756. 16. Octob. missam, quae incipit: *Ex omnibus Christiani orbis regionibus*: in qua ita resolvit.

360. „Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicae Constitutionis, quae incipit: *Unigenitus*: eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quae exorta est controversia: Utrum hujusmodi refractariis Ss. Corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat? sine ulla haesitatione respondendum sit, quoties praedictae Constitutioni publice et notorie refractarii sunt, denegandum iis esse; ex generali nimirum regula, quae vetat publicum et notorium peccatorem ad Eucharisticae Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat. Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque post sententiam a iudice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae Constitutioni *Unigenitus*, venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint. Quicumque etiam hujusmodi contumaciae reos se in iudicio confessi sunt, ac praeterea illi, qui quamvis nec a iudice condemnati, neque reatum suum in iudicio confessi fuerint; nihilominus vel eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profiterentur, vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem Constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit. In his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus iudex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens; in quo tamen prae oculis habenda est differentia, quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola actione externa consistit, ut et notorietas usurarii et concubinari: et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet, de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus, certioribusque argumentis probari oportebit. Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praepredicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur, quibus dum fides habetur, satis compertum est tum praeteritorum temporum, tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat.

Quia vero multi animarum Pastores, Ecclesiaeque ministri pietate et zelo commendati hujusmodi conjecturis et praesumptionibus deferentes, dum ad s. Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii haerent, verentes, ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint; certam subnectimus agendi regulam, quam omnes sequantur. Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, Paschali praesertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit: si enim in vita illi non fuerit denegata, argumento erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse, indeque sequetur, s. Viaticum